rones ad Calend. Aprilis Anno 1467 coactum fuisse, in quo placuit ut certi probatique viri, 36 scilicet Curatores Reipub. ex singulis Ordinibus deligerentur, qui Rempub. constituerent & juri ac justitiæ providerent, duodeni scilicet ex Clero (qui unum Ordinem jam obtinebat) totidem ex Equitibus, & totidem juris ac Iustitiæ periti ex populo, fidemque Rex Regali dicto promissoque dedit ratum se habiturum quicquid illi 36 viri constituerent.

Atq; hæc quidem in genere ad Capevingiorum usq; tempora totius Reip. gubernandæ, Regnive administrandi ratio fuit. Eaque recensuimus Officiariorum Regni munera quibus qui præsunt vel funguntur, proprie Regni seu Coronæ administratores, Officiales vel Sapientes dicuntur, quales sunt cum primis illi quos publicum Concilium constituere diximus. Item *Pares Franciæ*, deinde *Conneſtablius*, *Ammiralius*, *Cancellarius*, *Quæstor generalis Franciæ*, &c. Alii etiam omni tempore fuerunt Consiliarii ac Officiarii Regii, qui privata ipsorum negotia curabant, Regique famulabantur aut ministrabant quales sunt *Camerarii* & alii Ministri & Officiales Aulæ Regiæ.

Præter hæc publica munera instituta sunt successu temporis alia atque alia *Parlamenta juridica*, qua in re sciendum ad hæc fere Capevingiorum tempora, & simplicem facilemque jus reddendi rationem, rarasque omnino lites fuisse, quod vel hinc licet cognoscere, quod Rex Lodovicus cognomento Dives, qui regnavit circiter annum 1230 (ut ex Ionvillio, qui ejus vitam descripsit, constat) ipse vel controversias disceptabat, vel disceptandi negotium nonnullis è suo comitatu mandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum est, qui vel dum calcearetur, lites dirimebat. Hujus lex talis in capitulari extat. *Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni septimana unum diem ad causas audiendas sedere volumus.* Crescente deinde pravitate temporis, litium multitudine, primum Basilica magnifica Regis Lodovici Huttini, vel ut alii volunt Philippi Pulchri Imperio circiter annum 1292 ædificata est; Tum ex mediocri Iudicum numero tres Decuriæ factæ Magnæ Cameræ, Inquisitionum & Postulatorum. Sed anno 1521 Rex Franciscus quartam deinde Cameram 20 novis Consiliariis adjecit. Rursus idem Rex anno 1543 alios 20 creavit. Sed hic Iudicum conventus non fuit perpetuus & perennis ut hodie, sed indictivus, nec nisi certo Principis mandato exerceri solitus. Ad diem idem D. Martini, id est 2 idus Novem a Rege dictum proponebatur, quo Parlamentum inchoandi Iudicibus a Rege authoritas datur.

Verum paullatim in tantum hujus Consessus, seu Parlamēti autoritas excrevit, ut nulla Regia Lex, nulla constitutio rata esset, nisi cujus illi Consiliarii auctores comprobatoresq; fuissent. Deinde ut nullus tota Gallia Magistratus, non modo urbanus, verum & militaris esset, quem non ab illo consessu inaugurati, & apud eundem in leges jurare oporteret, tum ut ab eorum judiciis appellandi jus non esset, sed ut eorum decreta & fixa essent, postremo quicquid potestatis, imperii, authoritatis, penes publicum Consilium & Statuum parlamentum (cujus scilicet & nomen & authoritatem obtinet) fuisse diximus, id totum in Senatum illum translatum fuerit.